



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

38. An Regulares possint absolvere sæculares ab hæresi occulta? Et
infertur Prælatos Regulares non posse ab hæresi suos subditos absolvere.
Ex part. 6. tr. 6. & Misc. 1. res. 54.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

habeant à Sede Apostolica absolventi facultatem, illam extra Italiam minime sublatam fuisse iisdem S. Congregationis decretis hac de re editis iussu sanctæ memoriæ Clementis VIII. quam factæ Congregationis sententiam sanctitas sua ad se relata approbavit, mandavitque ab omnibus ad quos pertinet, inviolabiliter observari. Romæ 17. Novembris 1628. & licet novissimè Pater Santorius asserat privilegia Regulariū adhuc durare in ordine ad absolutionem Bullæ Cœnæ; tamen fatetur superiores Regulares nullo pacto posse absolvere ab hæresi occulta; ita ille in *comment. ad consilium Minor. cap. 2. stat. 1. §. 1. & §. 5. quest. 5.* cui adde Novarium in *Lucerna Regularium, ver. Hæresis, n. 6.*

7. Ad id verò, quod asserit Baunius, Episcopos & Inquisitores posse absolvere ab hæresi occulta, omnino negandum est, & licet ego in *part. 1. tract. 5. ref. 3.* dixerim posse Inquisitores ab hæresi absolvere, intellexi, secundum Frejtam à me adductum, de Inquisitoribus Hispaniæ, secus autem de aliis, & ita me intelligit novissimè Catena in *praxi S. Officij, part. 2. tit. 2. numero 61.*

RESOL. XXXVIII.

An Regulares possint absolvere sæculares ab hæresi occulta?

Et inferior Prælatos Regulares non posse ab hæresi suos subditos absolvere? Ex p. 6. tit. 6. & Msc. 1. Resol. 54.

Affirmativam sententiam docet Croufers in *Regulam S. Francis, c. 7. §. 2. 28. fol. 77. 1.* ubi ita asserit: Dico secundò eodem Confessarios, posse etiam absolvere sæculares à casibus Bullæ Cœnæ, & etiam ab hæresi: probatur ex concessione Urbani IV. supra posita in qua concedit dictos Regulares posse absolvere sæculares ab omnibus, nisi talia essent, propter quæ Sedes Apostolica esset meritis consulenda: sed pro hæresi, nisi illius sit, qui in hæresim coram iudice competentis abjuratam relapsus est, non est meritis consulenda Sedes Apostolica, ut superius ostensum est; ergo ab hæresi possunt præfati absolvere. Probatur secundò ex concessione Sixti IV. superius allegata, per quam dicti Confessarii possunt absolvere ab omnibus casibus excommunicationis, Ordinario tam à jure, quam ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit, sicut potest Diocæsanus. Sed hæresis, sicut occultæ, seu in iudicium nondum deducta, tam jure antiquo quam novo Tridentini reservatur Ordinariis; ergo sicut hi possunt ab illa absolvere, ita & Confessarii supradicti, & consequenter à reliquis Bullæ Cœnæ casibus.

2. Rodericus nullius momenti existimat esse hanc rationem, dicendo, hos casus occultos non esse propriè reservatos Episcopis, sed eisdem potius concessos jure communi speciali: & propter hanc rationem negat mendicantes id posse, confirmatque sententiam suam, quòd in dicta concessione per Tridentinū Episcopis facta, existimet industriam personæ Episcopi ad abolendum ab hujusmodi casibus electam: ex quo infert, non oportere mendicantibus tribuere similem facultatem, eo titulo, quòd à reservatis Episcopo possint absolvere. Sed fallitur: nam verum non est Episcopis concessos casus occultos, de quibus in Trident. sess. 24. c. 6. Sed potius relictos juri suo antiquo, vel eidem relictos, secundum quòd cum dicti casus fuerint propriè reservati Episcopis, meritis asserimus, mendicantes ejusmodi facultatem habere: neque in concessione per Tridentinum facta potest dici personæ industria electa. Cum enim Patribus Concilij Tridentini incogniti fuerint Episcopi, & per illud hæc facultas annexa sit officio, industria personæ non potest censeri.

Tom. V.

ri electa. Si dicas, ratione dignitatis concessam esse Episcopis dictam facultatem, fateor: non tamen, quia mendicantibus & est talis dignitas, necesse est deesse etiam facultatem, cum ex privilegio Apostolico illam possint habere, & de facto habeant, ut clarum est ex privilegiis supra positis.

3. Quæ certe non possunt censi derogata; neque per Bullam Cœnæ, quoad casus in ea contentos: quia si per dictam Bullam casus non efficiuntur tales, quòd pro eis meritis consulenda sit Sedes Apostolica, & quòd ab eis non possint absolvere Diocæsanus semper manent absolubiles virtute privilegij Urbani IV. & Sixti IV. & hæc quidem secundum antiquiora Regularium privilegia: nam secundum recentiora, luce clarior est, quòd possunt dicti Confessarii absolvere sæculares ab hæresi, & reliquis Papæ reservatis, & consequenter ab Episcopis. Hucusque Croufers.

4. Sed si aliquis hanc sententiam in praxi deducet, puto in nostro Sacro Tribunali severe puniendum esse; nam non solum virtute privilegiorum Religiosi non possunt absolvere ab hæresi occulta sæculares, sed nec ipsos Regulares. Et ratio est, quia in nullo privilegio, seu concessione censetur data potestas absolventi ab hæresi, nisi de illa specialis efficiatur mentio, ut observat Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. c. 11. n. 7.* Sanctarelli hic sup. in *tract. de hæresi, cap. 5. dub. 1. n. 8.* Avila de *cons. part. 7. disp. 10. dub. 6.* Rodriq. in *Questionib. Regular. tom. 1. q. 40. art. 10.* & alij unde patet responso ad privilegium adductum Sixti IV.

5. Et licet Hurtadus de Mendoza de *fide, volum. 1. disp. 84. sect. 2. §. 45.* putet extra Hispaniensis Inquisitionis ditionem posse Præpositum Generalem Societatis Iesu per se, vel per alium absolvere quoscunque ab hæresi in foro conscientie vigore cujusdam privilegij à Sede Romana obtentis: hoc non procedit in Hispania, in qua ut restat ipse Hurtadus, nulla religio eo privilegio gaudet. Verum hodie omnia supradicta contrahunt ex decreto Sacre Congreg. rebus Episcoporum & Regularium præposita de mandato Sanctissimi Urbani VIII. ubi habetur absolvere quempiam à casibus in Bulla Cœnæ, aut ordinario loci reservatis non posse Regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti, etiam necessariò exprimiendi tam citra, quam extra Italiam in vim privilegiorum, aut confirmationem hujusmodi, quæ vel hæcenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt. Et si secus egerint, absolutiones nullæ ac irritæ erunt. Ita in supradicto Decreto. Unde non est admittendum id, quod conatur probare Croufers c. 7. sect. 12. fol. 598. videlicet Prælatos Regulares posse absolvere ab hæresi suos subditos; quòd novissimè docet Stephanus Bauny in *Theolog. Moral. tract. 4. §. 32.* adversus quos vide Doctores penes me ipsum in *3. part. tract. 2. refol. 122.* nec aliter sentiendum.

RESOL. XXXIX.

An Regulares possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, si sint occultæ, etiam quoad hæresim?

Et quid si prædictæ censura deducta sint ad ad formam contentiois, & licet publica sint?

Et in rebus hujus Ref. assignantur alij sex casus, in quibus Regulares virtute suorum privilegiorum minime possint sæculares absolvere, nisi in articulo mortis. Ex p. 1. tit. 2. Ref. 18.

Affirmativè responder Brunus Cassiaing de *Sup. hoc in Privileg. Regular. part. 1. tract. 5. c. 3. propos. 3.* ubi sic ait: Sacerdos Regularis potest absolvere in doct. ref. foro conscientie, à censuris, & casibus à quibus jure communi, & ex concessione Tridentini absolvere possunt ult. & pro.

Sup. hoc inf. in tr. 10. ref. 81. signante ad lin. 4. & servat Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. c. 11. n. 7.* Sanctarelli hic sup. in *tract. de hæresi, cap. 5. dub. 1. n. 8.* Avila de *cons. part. 7. disp. 10. dub. 6.* Rodriq. in *Questionib. Regular. tom. 1. q. 40. art. 10.* & alij unde patet responso ad privilegium adductum Sixti IV.

Sup. hoc sup. lege ex ref. 34. §. 1. in fin. & ex ref. 35. §. 1. & part. 2.

Sup. hoc Decreto in ref. not. seq. & in aliis ejus cunctis not.

Quæ hic est sup. Ref. 31. & in aliis ejus primæ not.